

conveniri; & cum qualibet Curia supremi Principis dicatur patria communis respectu subditorum, in ea commorantes, licet alias ibi non contraxerint, in ea conveniri valent, l. 4. c. 5. tit. 3. p. 3. quare Episcopus in presenti specie, qui Romae degebat, iuste ab adversario conveniebatur: nam respecta ecclesiasticorum personarum Curia Pontificis, est patria communis, sicut Curia Principis secularis respecta laicorum: docent Balboa, & Fernosinus in presenti, Ratione etiam non desinitur secunda pars huius decisionis, ubi docetur, hucusque tradita non procedere in illis personis, quae jus habent revocandi domum, ut Legati pendente legationis officio, qui testimonii dicendi, aut iudicandi causa, vel qui ut appellationem prosequerentur, aut ut tutelae rationes redderent, illic pervenerunt, de quibus exaudienda est lex 7. styli, in illis verbis: "Si aliquando debe deanda a otro, y este deudor es fallado en casa del Rey, porque vive, y en casa del Rey, o que anda, y en otra manera qualquier: y a quel que ha el deudor libre el gelo demanda ante los Alcaldes del Rey, y el deudor alega fuero, que el embia a el, los Alcaldes del Rey debenlo hazer, e debenle poner plaza, a que parezca ante el Alcalde del lugar, de fuero donde es que cumpla de fuero, e de derecho al querrelloso." Ubi notavit Paz schol. 1. Procedit etiam in his qui evocantur a Principe per sacram evocationem, cujus evocationis mentio extat in l. 1. c. ut omnes iudices, l. ult. c. de dignitate, l. 12. & ejus forma concipitur a Calliodoro l. 7. var. ep. 34. his verbis: Non dubitamus tamus ultronea grate suscipi, quae in locum muneris solent postalata conferri, quia Domini recordatio concedit semper augmenta, nec possunt esse principis gratificationis vacua iudicia: quapropter ad comitatum nostrum iussis te presentibus evocamus, ut non mediocri gaudio perfruaris; & ideo otium delectatione postposita, ad illam diem ad urbem illam devenire propera, ut & tibi aspectum nostrum gratum suscipere iudicemus, cum te festinasse cognoscemus. Illi enim non instructi, ut ab actione se defendant, accedunt, sed negotii urgentis tantum causa, unde iniquum est eos alius implicare litibus.

Nec obstant difficultates supra adductae, nam licet controversiam sit apud interpretes, post translationem imperii, & Constant. donationem, utrum hodie Roma communis patria dici possit, existimo tamen discrimen esse constituendum inter personas ecclesiasticas ad forum ecclesiasticum pertinentes, laicosque in terris Ecclesiae habitantes; & inter laicos sub Principum secularium ditionibus commorantes. Quoad personas ecclesiasticas, & laicos in terris Ecclesiae degentes, credo Romanam, ut Curiam propriam Principis, Patriam communem esse: quoad ceteros vero laicos, propriam Patriam patriam communem dici, & in ea posse conveniri, dummodo aliam non habeant jus revocandi domum. Illud amittendum non duxi, Romam etiam sacram urbem vocari in l. 3. c. Theod. de tan. fr. urb. in l. 2. c. de nuntio favore: venerabilem in l. ult. in Theod. de nuntio, aeternam in l. 3. c. Theod. de ead. eod. & apud Symmachum l. 10. ep. 34. sacratissimi nominis in l. 1. c. de honoratorum vobiscum. Illustrat Panciroli l. 1. var. c. 3. Balengruius l. 1. de imp. c. 2. Nec secunda difficultas advertitur, pro cuius solutione sciendum est Legatos, sive ex provincia, sive ex aliqua civitate ad expedienda negotia sibi commissa Romam pervenientes, legationis officio fungentes, ex gessit ante legationis conventio non teneri respondere, sed jus revocandi domum habere, ne a legationis munere sibi iniuncto, cui exi-

incumbere debent, avocentur, d. l. 2. §. Legatis, d. l. non aliter 24. l. 7. ff. qui iustitiam, l. 2. l. penult. ff. de legationibus, & si Legatus ex gessit ante legationem conveniatur in ea causa est, ut non possit iudicis auctoritatem continere, quia imo in jus vocatus debet comparere, & ante litis contestationem privilegium revocandi domum proponere, ut hoc modo iudicis obtemperet precepto, & simul privilegium legationis fruatur, l. ult. c. de excep. l. 2. §. 5. ff. si in ius vocatus. Ceterum hoc privilegium solummodo concessitur, quando ex negotiis ante legationem gessit Legati conveniuntur; atque ideo si dum in Legatione occupantur, contraxerint, vel dominium alius rei nanciscatur, ejus rei, seu contractus ratione iudicium liceat petere coguntur, ne aliter sub praetextu legationis deur occaso, ut qui cum ipsis contraxerunt, fraudentur, l. cum furiosus, §. ult. de iud. l. non distinguemus, §. item si qui Roma, ff. de recep. arbit. l. quod si minor 24. ff. de minor. l. si mulier 11. ff. ad vel. l. 1. Et si continuat id quod in legatione debuit contraxisse solutum, conveniri potest, secus si contraxit quod antea debebat, l. si quis in legatione, ff. de iud. l. qui quod, ff. de nat. nec contrarium probat textus in l. cum, qui, l. 1. ff. de cons. pecun. Nam omnia solutionibus traditis a Cajac. l. 5. q. 9. Pap. in l. cum furiosus 39. ff. hoc tit. Et in lege 2. ff. eodem tit. Genoa in consuet. legum, pag. 103. in parvi, dicendum est cum Donello l. 17. comm. c. 14. ea verba conveniri debere, accipienda esse in provinciis, non vero Romae, ut in calu sequenti, cum promittit in provincia se Romae solummodo, l. 3. ff. de legatione. Sed quamvis Legatus ex contractu in legatione celebrato conveniri possit; si tamen hereditatem agnovit, & per eius aditionem cum legataris, & creditoribus hereditaris quasi contraxisse videatur, §. heredes, Instit. de oblig. qua ex quibus contraxit, non statim onera hereditaria sustinebit, de hoc actiones, quae ex multitudinedine negotiorum, quibus per aditionem implicatur suscipere coguntur, ut muneris sibi iniuncto post satisfactum, cui interesse debet; tamen Legatus etiam dum in legatione existit, hereditariis creditoribus, & legataris debet cavere, quod nisi fecerit, in possessionem rerum hereditariam mittentur, ut defuncti voluntas adimpleatur, simulque creditoribus, & legataris consulatur, l. si legationis 25. digest. de iudicis, l. 5. §. 1. digest. ut in possessionem ipse etiam Legatus heres instituitur, & rogatus restituere hereditatem, cogi potest tam adire, quia levis occupatio hoc est, d. l. sed & si restituatur 28. l. si Legatus 30. ff. ad Trebel. non tamen restituendo hereditatem transiret hoc privilegium in fieri committitur, quia ille statim conveniri poterit, ut docet Cajac. ad ff. in d. l. 28. §. legatus. Cessat etiam hoc privilegium revocandi domum, quando Legatus in legatione delictum perpetravit, l. non aliter, §. 1. ff. de iud. quia qui delinquit, sicut qui contrahit; ratione delicti forum sortitur. Etiam Legati pendente legatione possunt conveniri in casibus supra enumeratis, ab speciales rationes, quas adducit Donellus in d. c. 14. Balboa in presenti, Ant. Faber in d. l. 2. §. sed si agere, dicit, l. 28. §. adim, Bronchorst. cent. 1. assert. 68. Gentilis de Legat. c. 16. Vela 10. 2. differt. 39. Et circa hoc privilegium Legatiscomptens observandi sunt textus in l. 2. ff. qui iustitiam, l. non distinguemus 35. §. questum, ff. de arbitris, l. 5. §. 1. de consuet. pecun. lib. 3. l. 2. c. penult. ff. de legatione, l. si quis 8. l. non aliter 24. §. 1. l. cum furiosus 39. §. 1. l. si uxor 40. l. duo, §. 3. ff. de iud. l. 3. Legatus 30. ff. ad Trebel. l. 5. §. 1. ff. ut in possess. legat. l. nemo 28. §. 4. ff. ex quib. caus. minor.

7 Difficultates dicitur.

TITULUS III.

De Libelli oblatione.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio apud Sanctum a Medardum habito.

Ignarus Episcopus dixit: Habes libellum reclamationis, vel postulationis: Illi responderunt se praemanibus nullum habere libellum. Ignarus Episcopus dixit: Oportet vos secundum c. ecclesiasticam auctoritatem reclamationem vestram libelli serie declarare, eamque vestris manibus roboratam Synodo porrigere, ut tunc vobis canonice valeat responderi. Et tunc ipsi Fratres libellum conscribentes porrexerunt.

NOTAE.

a **S**anctum Medardum. Ita etiam legitur apud Burchardum l. 2. Decret. c. 197. Ironem part. 6. Decreti, c. 69. & in prima collectione, sub hoc tit. c. unie. ex quibus transcripsit textum hunc Raymundus; sed omnes mendose. Ut vero litera restitatur, & ejus historia pendatur, sciendum est, quod an. Domini 853. mense Aprili in Monasterio SS. Medardi, & Sebastiani, Episcopus iuxta statuta sacrorum canonum Synodum celebrare volentibus, annuit Rex Carolus, eiusque in urbe Sessione convenirent fuerit, ubi posthabitis secularibus curis, ipse quoque Rex adfuit, ut non solum de vocatione Ecclesiae seculum esse ostenderet, verum etiam, si opus esset, protectorem regia potestate monstraret. Tradunt, & ejus Conc. acta, canonice referunt Flodoardus l. 3. hist. Rheimens. c. 11. Bar. l. 10. an. 853. Simondus in c. ipsius Caroli idem, & Binus in notis ad ipsum Concilium, historice ipsius Concilii describitur in Chron. Cameracensi, l. 1. c. 43. verbis frequentibus. (Hujus etiam diebus honorabilis Praeful Hincama-

rus, post Ebone depositum, ejusdem Ecclesiae Episcopus, anno sui Episcopatus septimo Synodum habuit Provinciacalem apud Saesonicam urbem, in monasterio S. Medardi, cum Veneione Senonensi Archiepiscopo, Almarico Toronenfi, & hoc Theodorico Cameracensi Episcopo, & multis aliis Episcopis, & Abbatibus, residente quoque in medio glorioso Rege Carolo. Ubi quaedam necessaria Ecclesiae Dei sunt pertractata negotia. Ad quam Synodum accedentes quidam Rheimensis Ecclesiae Canonici, ac Monachi, clamaverunt suspensus se a praefato Archiepiscopo suo ab administratione ordinum Ecclesiasticorum, ad quos ab Ebone quondam proveci fuerunt. Electi igitur iudices utriusque partis, idest Archiepiscopi, & clamatorum, auditis causis, iudicaverunt, quod si Ebo Archiepiscopus in eo statu manens canonice hos fratres ordinaverit, deberent ministrare, si autem inquit deiecit, & canonice restitutus, post suam canoniam restitutionem eodem ordine verit, sine ulla questione deberent etiam ministrare. Interrogatque ordinatoribus Hincmari de Ebone depositione, & copus

Hincmari ordinatione, surgens Theodorico Cameracensi Episcopo porrexit in conspectu Principis, & Synodi scriptum continens ordinem depositionis praefati Ebone: tunc ventilatum est, qualiter exauctoratus Episcopus restitui debeat. Et quia idem Ebo restitutus canonice non fuerit, insuper & ab Apostolica Sede, Sergio Papa confirmate dejectionem illius, damnaque extiterit, ut in laica tantummodo communionemangeret, sique decretum, ut quidquid in ordinationibus ecclesiasticis Ebo post depositionem suam egerat, secundum traditionem Apostolicae Sedis, praeter sacrum Baptisma, quod nomine sanctae Trinitatis perfectum est, irritum haberetur, & ordinari ab eo ecclesiasticis gradibus privarentur. Tunc unus ex deiectionis fratrum libellum proclamationis exposuit in medio, in quo continebatur, quod ideo se ab Ebone permisisset ordinari, quia viderant suffraganeos Rheimensis Ecclesiae in unum cum litteris Imperatoris Lotharii convenisse, & eundem Ebone restituisse. Sed & litteras quasi ex nomine Theodorici, Episcopi, & ceterorum ejusdem dioeceseos Episcoporum manibus roboratas ostendunt, quibus recitatis, falsique comprobatis, iusti sunt communionem privari, pro eo quod Episcopus talia obijcere praesumpserit. His ita terminatis, Hincmarus Archiepiscopus Primatus sui locum recipit, cujus extat scripta plurima, quae ipse de Fide Catholica & de conservando jure catholico conscripsit. (Congregatis igitur Patribus Concilii, Praefide Hincmaro Archiepiscopo Rheimensi, in actione 1. actum est de ordinatis ab Ebone praedecessore ipsius Hincmari. Ebo enim tanquam auctor conspirationis adversus Ludovicum Augustum, in Synodo apud Theodonis villam habita an. 835. depositus fuit, ut narrat Synodi seriem referens Flodoardus ubi supra, l. 2. c. 20. Sed mortuo Ludovico Cathedram recuperavit a Lothario, cum assensu, & subscriptione Episcoporum, & in Rheimensi Ecclesia clericos aliquot ordinavit, quos Hincmarus pro clericis habere nequibat, utpote vitio creatos ab eo, qui legitime relictus in Ecclesia non erat: quia de re actum est in prima actione praedicti Concilii Saesonicensis, cujus actiois verba refert Baron. an. 853. n. 3. ita (Dum quaedam ecclesiastica, & per necessaria negotia in eadem Synodo ventilarentur, & desinerent, venit Sigloardus servans locum Archidiaconi Rheimensis Ecclesiae, dixitque filios ejusdem Rheimensis Ecclesiae, & Hincmari Archiepiscopi stare pro foribus, ut qui pro sua necessitate in Synodum introducti petebant, Hincmarus Archiepiscopus dixit: Recita illorum nomina, & audiat Dominus noster Rex Carolus, & Sacra Synodus illorum conscripta nomina; & tunc quod iustum fuerit, in nomine Domini, fiat. Et recitavit Sigloardus, servans locum Archidiaconi Rheimensis Ecclesiae, haec nomina: Redoldus, Gislarus, Vivilridus, Fridebertus ex Canonice ipsius S. Matris Ecclesiae, Sigimundus ex monasterio sancti Theodorici: id est monachi unius monasterii sancti Remigii, Nortainus, Heinarus, Maurinus, Atheus, Teulandus, Heandalus, Rodolphus, Vvicherus: quibus iuxta Synodi & Principis introductis, Hincmarus Archiepiscopus dixit: quae est vestra petitio fratres? Illi autem responderunt: Miseriam petimus a vestra paternitate impendi de ministracione ordinum ecclesiasticorum, ad quos a Domino Ebone quondam proveci, a vestra autem auctoritate suspensi sumus. Hincmarus Archiepiscopus dixit: Legum Ecclesiasticarum consuetudo, & auctoritas talis est, ut in causis fororum semper scripturam requiratur, adeo ut qui ad sacrum fontem accedit, suum dare nomen praecipiantur; qui ad summum sacerdotium provehitur; decreto manibus omniat roborato eligatur; ordinatur autem, a suis ordinatoribus litteras accipere jubeatur; qui etiam ab ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libellari scriptioe aut recipitur, aut deiecitur, sed & qui accusatur, vel qui excommunicatur, per scripturam accusari, & sic in ceteris hujusmodi tantum scriptura deposcitur, sicut & B. Gregorius in commognitione ad Joannem defensionem, ex Romanis legibus fumens, scribit: Sententia quae sine scriptura profertur, nec nomen sententiae habere meretur. Quapropter, fratres, & filii oportet vos secundum ecclesiasticam auctoritatem reclamationem vestram libelli serie allegare, eamque vestris manibus roboratam Synodo sacrae porrigere, ut convenienter & canonice vobis valeat responderi. Et tunc ipsi fratres libellum conscribentes, eique sua nomina subscribentes porrexerunt.) Hactenus PP. Concilii, & licet hanc Synodum postea anno 869. damnasse Nicolaum Papam, refert Baronius ubi proxime, tamen ejus acta inter Concilia approbata reperuntur. (Ignarus.) Legendum est iuxta supra relata, Hincmarus, qui ex monacho Benedictino monasterii S. Dionisii electus fuit Archiepiscopus Rheimensis. Edidit varia opera, quae referunt Bellarminus de Script. Eccles. Polsevinus in Biblioth. c. ecclesiasticam.) Quam exponit ipse in c. legum, l. 1. q. 2. ubi est alia pars hujus textus.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu ita communiter repetentes deducunt assertio-nem: Actor tenetur in scriptis libellum porrigere. Sed perperam, cum inepa sit questio, an scriptura sit necessaria in libello, cum perinde sit, ac si queras, an in homine, quidmirum existimavit libellum dari aliquem sine scriptura. Conclusio igitur ita deducenda est: Actor debet actionem, seu intentionem suam in scriptis proponere. Probant cum textibus c. littera 3. de dilat. c. radice, §. offeratur, 3. q. 3. c. significavitibus, de appell. l. citia 3. Cod. de ead. authent. offeratur, Cod. de delictis confes-

8 Conclusio deducitur & probatur.

Consonant lex rit. 2. par. 3. lex 4. c. 47. tit. 3. par. 5. lex 4. tit. 2. lex 10. tit. 17. l. 4. recipit. Illustrant ultra congestos in praesentia Barboza, Balboa, Garanna, Keling, & Fernosino, Corvinus l. 3. aphorism. juris Pontif. tit. 10. Vultejus l. 2. de iud. c. 4. n. 20. Bronchorst. cent. 1. q. 28. Petrus Gregorius l. 48. Synagoga. c. 5. Forcatius in praxi, c. 15. Rigellus l. 3. Instit. fori, c. 4. Parladorus l. 2. rer. quotidian. c. fin. 5. §. 2. n. 2. Scaccia l. 1. de iud. c. 50. n. 4. Bajo-Arroyo l. 1. praxi, c. 19. Avedanno respons. 1. n. 15. Pichardus in §. significavitibus, n. 30. Institur. de actioib.

Sed in hanc assertionem pro dubitandi ratione ita insurgit valet: Libelli oblatio successit in locum editionis actionis, ideo in loco rubrica de actio, quae in Pandectis juris civilis proponitur, in hoc volumine Decretalium inscribitur titulus de libelli oblatione, ut jam notavit Donellus in l. edita, n. 4. Cod. de ead. Sed editio actionis iure civili sebat, autem libello complectendo, exprimentoque, aut adversario ex albo Praetoris indicando, dignique demonstrando actionem, quam illi convenire velit, nulla scriptura procedente, l. 1. §. actor, ff. de ead. Donellus, Cajac. & Gilkenius in dict. l. edita, n. 3. Revardus pro tribus, c. 8. Vultejus dist. c. 6. Pichardus in rubrica de actioib. n. 4. c. seq. Oualdas l. 23. Donell. c. 4. l. 1. ad. Igitur & libelli oblatio, seu actionis propositio in ejus locum subrogata, verbo tantum fieri potest. Augeret hac difficultas ex eo, nam plures casus in iure reperiuntur expressi, in quibus absque ulla scriptura iudicium formatur, & sicut, ut in c. si quis cum clerico 45. 11. q. 2. Clem. dispensationis, de iudic. authent. nisi breviorum, Cod. de sent. ex periculo, Clem. sep. de v. f. Igitur generaliter verum non est, actorem in iudicio non admitti, nisi actionem, seu intentionem suam in scriptis proponat, libelloque complectatur.

Hac difficultate minime obstante vera est praesens assertio, pro cuius expositione sciendum est, libellos varie, diversimodeque accipi, illis enim non modo preces, & desideria Principi, Magistratibusque oblata, verum donationes, inscriptiones rerum familiarium, vel aliarum descriptiones, multaque alia continentur, quae congerunt Lexicographi verbo Libellus. Perquam accipiuntur pro precibus, l. deprecatio 9. ff. ad leg. Rhodianam, l. libertus 15. ff. de in ius vocand. l. item 15. §. si quis libello 29. ff. de injur. l. relocator. 7. §. relocator, ff. de interdict. c. relog. l. questum 5. ff. ad Turpil. l. solent 3. ff. de aliam legat. l. c. cum 6. digest. ad leg. Jul. de vi; de quibus, & eorum magistro late agunt Brissonius l. 3. select. c. 4. n. 6. Etiam accipiuntur libelli pro scripturis, seu litteris instrumentalibus; unde quia in contractu emphiteusis desideratur scriptura, ipse contractus libellarius dicitur. Divus Gregorius l. 2. ep. 1. ubi de eo contractu agens, ita ait: Libellarius nomine terram ad summam unius annuissis concede. Et l. 8. epist. 81. Voluit terram sub specie libellorum teneri. Notavit Cajac. ad tit. Cod. de iure emphyt. Et praesens Ecclesia saeculis fideles lapsi, qui ut admittentur ad communionem, litteras confessionum desiderant, libellatici dicebantur. Divus Cyprianus de lapsis c. 11. & ep. 51. ad Antonin. c. 4. plura de eis Baron. anno 253. Mendoza l. 2. c. Conc. Miber. c. 9. Albaspinus l. 1. observ. c. 21. Turrianus l. 1. pro epist. Pontif. c. 7. Accipiuntur etiam libelli pro schedulis inimiciorum alicuius rei, l. fultus 43. §. proinde, ff. de furis, l. si punitur 7. ff. de divorciis, leg. si Publician. 4. §. de rebus, ff. de Public.

His & aliis libelli acceptioibus omnibus, in praesentibus libellis accipitur pro scriptura ab actore reo porrecta, qua complectitur rem sibi debitam dari oportere, debendi causam continens: dicitur libellus conventionis in l. ult. Cod. de in ius vocand. petitionis schedula in novella 123. c. 27. libellus duplex a Theophilo in §. scriptis, Instit. de actioib. Variis definitur ab Interpretibus, ut constat ex traditis Marantha, Mathienzo, Azevedo, & aliis relatis a Pichardo in mandatis, ad praxim, l. par. precept. 2. n. 9. Oualdas ad Denell. l. 23. comm. cap. 4. Montealegre in praxi, l. 1. c. 11. Scaccia de iud. l. 1. cap. 5. Collesio in hoc textu, Vultejo de iudicis l. 2. c. 4. 33. Haec rectius essentiam libelli exprimit, quam tradit Cinus in dict. authent. offeratur, & sequuntur Panormit. in presenti, Scaccia l. 1. c. 50. n. 1. ut sit brevis scriptura clarum continens actoris intentionem. Dicitur brevis scriptura, quia iure communi attento actoris intentio in scripturis proponi debet, c. 2. hoc tit. l. 25. tit. 2. par. 3. quoniam cum libellus successerit in locum editionis actionis, sicut editio litis futurae speciem demonstrat, ita libellus in scriptis propositus litem futuram denotat: docet Amator Rodriguez in examine processus, c. 5. n. 7. Debet etiam clarum continere actoris intentionem, unde libellum oblatum, & ambiguum, parte etiam non opponente, iudicem repellere posse, probatur ex l. 4. tit. 2. l. 4. recipit, & docent Avedanno respons. 1. n. 12. Mathienzo in dial. re. l. 3. par. 9. 43. n. 3. & praecipue in causis criminalibus, perpetratis, ex textu in l. libellorum, ff. de accusat. docent Baldus in l. unia, n. 21. Cod. de confessis, Bobadilla l. 5. poliz. c. 1. n. 139. debet enim accusatio esse specialis certi criminis, cum adjectione loci, & temporis, ut reus accusatus negati-vum, seu ut vulgo dicimus, coartada, probare possit; alias defensionis via pracluditur, ut notavit Clarus l. 5. siveven. §. final. vers. Dixi.

Constitut autem claritas libelli in perspicua facti narratione, ita ut in eo exprimentur nomina actoris, & rei, leg. libellorum, ff. de accusat. c. foras, dict. v. §. leg. 40. tit. 2. par. 3. ut res certa designetur, c. 2. hoc tit. Et contrario dicitur libellus obfuscus variis ex causis, ut docet Scaccia ubi supra, n. 18. Primo ratione ambiguitatis, quando oratio admittit plu-

3 Traditur ratio libellati.

4 De libelli acceptio-nibus.

5 Definitio libelli.

6 De obfuscitate libelli.

ius, ubi Barbofa n. 11. vel si sententiam nullam dicat, vel adierit cum restitutione petat, Gloffa, Bartolus, & Bridas in l. 1. Cod. quando provocare. Etiam solvitur libellus alteri- natus in actione hypothecaria, veluti si quis agat ad tradi- tionem rei obligate, vel ad solvendum debitum, ex l. si fru- dum 16. §. in vindicatione, ff. de pignori ubi Bartolus n. 4. l. §. n. C. si unus ex pluribus: potest tamen possessor in actione hy- pothecaria rem restituere, aut litis estimationem creditoris of- ferre, l. si creditor 3. ff. quibus modis pignori vel hypoth. Item ad mittitur libellus alteratus in remedio legis 2. C. de restitu- tione ubi petit emptor, aut venditor rem restituat, aut pretium sup- pleat, e. cum dilecti, de empt. & vend. alios causas prosequitur Balboa in presenti. Nec tandem obicit ultimam argumentum deductum ex d. l. qua 26. §. incerta; nam textus ille procedit in re incerta, non quia non cognoscatur res ipsa, sed quia ob commanionem ipsius rei cum locio pro indiviso, non erat certa, & divisa, cum adhuc confusa possideretur, l. 3. §. 2. ff. de rei vind. quo casu etiam incerta partis datur vindica- tio: docet Oualdus ad Donellum l. 5. §. 8. lit. F.

Exponitur
l. inter 83.
§. Michem
ff. de verbis
obl.

Sed superioris assertioni primo obicit textus in l. inter 38. §. Stichum, ff. de verb. obl. ubi Paulus refert sententiam Aristo- tis existimantis, quod si Stichus promissus sit, & promissor de uno, stipulator vero de alio fenerit, inutile esse stipu- lationem, idemque in iudiciis observari affirmat. Sed Paulus contrarium sentit, existimatque, in iudicio eum Stichum de- ductum videri, de quo actor fenerit. Differentie rationem reddit Paulus, quia stipulatio ex utriusque consensu perficitur, iudicium vero in invitum redditur, l. 1. ff. de in ius vocando, h. propter unum, §. C. si quidem, C. de iud. & ideo ex volunta- te agens tantum pendere. Quam rationem illustrant Sarmien- to l. 1. §. l. 1. c. 2. & l. 7. c. 6. Faber l. 19. conj. c. ultim. C. de error. dicitur §. 1. error 1. c. 2. §. 3. Igitur cum res actione reali, vel personali petatur, necesse non est, eam specificè ex- primere, aut designare. Agnoverunt difficultatem, & illius textus antinomiam cum lege Domitianus §. §. ff. de rei vind. Gloffa, & fere omnes antiquiores ibi, qui affirmant, textum in d. §. Stichum, procedere quando actor adhuc vivit, & potest incertitudinem, intentionemque suam declarare; textum vero in d. §. §. ff. quando jam actor decesserat, nec explicare valebat incertitudinem. Amplectuntur eam solutionem Gab- riel l. 6. comp. opin. corol. 3. n. 74. Mantica l. 3. conj. lit. 1. n. 24. Ant. Gomez l. 1. variat. c. 9. n. 3. Sed ea in-

terpretatione omittit, dicendum est, in eo §. Stichum pettum fuisse, & licet de quo quo Stichus actor fenerit, a principio non constaret, tamen quia incertitudinis exceptionem non op- portuit, licet postea declaratione actoris, vel iudicis apparuit, de quo Stichus actum esset, ideo sequitur vendicatio: at ve- ro contrarium supponendum est in d. §. §. ff. videlicet, reum de incertitudine excepisse, & non constasse ullo modo neque ex probationibus, aut actis iudicialibus, de quo sermo actor presentisset.

Secundo opponi solet huic assertioni textus in c. 2. de ordin. cognit. ubi Abbas de Ferenino actionem proposuit contra quos- dam Nobiles, quia petebat Castrum, & estimationem damni dati in eo a Nobilibus, non expresso specificè Castrum ipso, nec ejus limitibus, aut dampnadmiffi estimatione; nihilominus sus- tinetor libellus. Igitur est res petita specificè non exprima- tur, libellus in iudicio admittitur, presententur difficultatem in eo textu Panor. n. 47. Cardinalis col. 1. Marianus Socinus in presenti, n. 15. & alii antiquiores, qui varias assigna- runt solutiones. Aliqui affirmant, libellum in eo textu susti- neri virtute clausule illis verbis comprehense, de quibus sus- tinetor sibi fieri videbatur; cujus clausule virtute omne remedium intentatum videatur, & iudex pronuntiare potest super re, in qua conclusum non est, ut supra probavi. Alii affirmant in dicit. c. 2. libellum sustineri, quia pars non opposita exceptio- nem incertitudinis, unde cum parte non opponente libellus in- certus jure communi sustineretur, ex dicit. l. §. ff. Cod. de annal. except. ideo in eo textu libellus non rejicitur. Sed his solutio- nibus omittis veris dicendum est, Castrum in iudicio dedu- ctum specificè demonstratum fuisse, estimationemque damni a Nobilibus dati expressam, ut constat ex integra ipsius tex- tus, in illis verbis: "In quorum presentia suam Abbas pro- posuit questionem, quod prelati nobiles, nulla requisi- tione premissa, manu armata, & cum exercitu ad Castra monasterii Perentilli, & Gab venientes, in praedis anima- lium, & legum combustionibus, captivibus hominum, & homicidiis perpetratis, & damnis aliis, usque ad quingen- tas libras Lucen. praeter stragem hominum, & injurias in- rogatas, damificata dictam cenobium praesumpserunt." Ex quibus manifeste constat, libellum ab Abbate oppo- situm nullam incertitudinem continere. Alia jura, quae oppo- ni solent presentis assertioni, exponunt Balboa, & Garanna in presenti.

to
Intelligitur
c. 2. de
ord. cog.

C A P U T U L T.

Gregorius IX. Archiepiscopo civitatis Novae, a & M. Canonico b Cuhnen.

Dilecti filii fratres Ecclesie S. Mariae de Hispida sua nobis petitione monstrarunt, quod cum Prior, & Conventus sanctae Mariae de Carcere ipsos super quadam pecunie summa coram Priore sanctae Trinitatis Veron. auctoritate Apostolica convenissent, ex parte ipsorum fuit excipiendum propositum, quod cum dicti Prior, & Conventus nolent exprimere in processu libello conventionali, quare sibi dicta pecunia deberetur, super hoc minime respondere tenebantur. Et quia dictus iudex exceptionem hujusmodi admittere denegabat, nostram audientiam appellaverunt. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, revocato in irritum, &c.

N O T A E.

Nova Civitas olim fuit Venetorum in ora Mar- chie Tarvisinae, cujus Episcopi Joannis meminit D. Gregorius l. 7. ep. indit. 2. ep. 72.
b Cuhnen. In glossa marginali legitur Clugnesis, sed non recte, cum Ecclesia Clugnesis sit in Anglia, & hujus textus casus contingerit in Italia: quare legendum existimus, Cuhnen, de qua Ecclesia est in c. Communis, de electione. Nota, etiam in Italia, in ditione Venet. est Ecclesia Clugnesis, vulgo Cluzona, & S. Mariae de Carcere. Monasterium hoc est Ordinis Cameldulensis, in dioecesi Paduana, ut refert Tamburinus in serie Abbatis, in praedicta dioecesi.

C O M M E N T A R I U M.

